

nimirum qui hic nimio se cibo potuque ingurgitabant, et *potentes erant ad bibendum vinum*, ibi carebunt, et carentes erunt ad famem tolerandam ac sitim; quique hic præscriptis diebus jejunare et abstinere non poterant, nec sobrie et coniviis surgere, ibi longam agent quadragesimam et sedebunt ad mensam vacuum in omnem æternitatem. Quid enim aliud est quod prædixit illis Dominus, Lucæ VI. *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis?* Quid aliud quod Abraham ad epulonem: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua?* q. d. quia quotidie splendide epulatus es, nunc carere debes.

Nec tamen omni prorsus cibo potuque destituentos esse putemus, exponit nobis Moyses, quis eorum cibus et potus futurus sit, Deut. XXXII. *Væ eorum uva fellis, inquit, et botri amarissimi, fel draconum vinum eorum et venenum aspidum inianabile*: et David, Psal. X. *Ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum*. Hic nimirum potus propinabitur illis a dæmonibus; cum enim hic multiplex concupiscentiæ siti perpetuo laborent reprobi, tali replebuntur ibi potu, qualem hic sitiabant. Sitiunt hic vinum? Ibi fel draconum vinum eorum. Sitiunt hic aurum? Ibi aurum liquefactum infundetur in os eorum. Sitiunt hic sanguinem et cladem proximorum? Inebriantur ibi sanguine. Ita legitur de Constante imperatore, cui frater Theodosius dæmonus, ab eo interfectus, adhuc viventi poculum plenum sanguine, habitu diaconi sæpius apprensus, porrigere visus est et dicere: *Bibe frater*. Sicque eum fugientem et loca mutantem majoribus insequi clamoribus, ut refert Theoph. apud Baronium, anno 659. Quam præstat igitur hic sitim perdomare, præsertim concupiscentiæ, quam tam caro pretio eam explere in gehenna, et per illam emere sitim sempiternam? Desiderant alii carnes etiam diebus vetitis? Dabit illi Deus quo modo olim Hebræis, ut *exeat per nares eorum*, et vertantur illis in nauseam.

V. Quid sentiet ibi tactus? Ægyptii sane in eo puniti sunt, dum sparso in altum cinere facta sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus et jumentis, quæ vehementer cruciabant eos, et hoc pro sexta plaga, eaque justissima, quoniam et ipsi Judæorum dorsa flagellis exulcerabant. Similiter in damnatis tactus, per quem tot flagitia et stupra, tot adulteria, tot sacrilegia committuntur, vehementissime torquetur. Igne impiis sævissimo, cujus respectu ignis noster pictus est, ut supra ex Polycarpo diximus. Talibus nimirum silvis tales debentur labruscæ, vehementissimo peccandi instrumento vehementissimum supplicium, quale est ignis. Qui dormiunt in

lectis eburneis et æstu libidinis ardent, eumque in semetipsis variis mediis ultro accendunt; annon merentur, ut in inferno quoque ardeant igne illo, qui semper accenditur et nunquam extinguitur? Sed, o crudelem lectum! Quanta ulcera, quot vesicas toto corpore excipient, qui in lecto illo jacent! Crudelis quidem lectus fuit s. martyris Laurentii cum in craticula ureretur et subinde verteretur. Sed quam suavis erat, si cum isto comparetur? Si quis cum Beryllo in tauro æneo torreretur, nonne crudele spectaculum foret? Sed exiguum tamen est illud, si cum devorante et æterno comparetur. Neque caret lectus ille plumis suis, quæ sunt tineæ et vermes. Sic enim Judith, c. XVI. dicitur: *Dominus vindicabit in eis, in die judicii visitabit illos; dabit enim ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum*. Sic etiam Isaias, XIV. dicitur: *Subter te sternetur tineæ et operimentum tuum erunt vermes*. Et quomodo has plumas ferent, qui ne pulicem quidem unum, aut leviuseculum frigus ferre in templo possunt? Cogitatio ista unica convertit studiosum quemdam Bononiæ, cujus conterraneus quidam ordinis Prædicatorum, cum ei ex pacto plura quam duo spiritualia verba dicere non auderet, dixit ei sententiam illam Isaiæ: *Subter te sternetur tineæ, et operimentum tuum erunt vermes*. Quæ in animo studiosi tam alte infixæ fuit, ut semper ei obversaretur, ubicumque tandem esset, tametsi eam variis ludis aliisque solatiis eludere et abstergere conabatur. Quare tandem apud se expendens, qualis futura esset ipsa vermium pœna, si ejus cogitatio tam erat intolerabilis, manus dedit, et sæculo renuntians religionem ingressus est, ut refert S. Antonius, IV. p. sum. tom. XIV. c. V. § III. His adnectamus quod refert Ludovicus Granatensis vir pietate et eruditione insignis, l. I. memorialis, c. I. a viro quodam visam in spiritu pœnam hominis mundani et carnalis hoc modo: « Primo vidit dæmones animam ejus jam defuncti rapere, et ad principem tenebrarum adducere, qui in ignea sella prædam suam expectabat, cui jam præsentatæ dicebat: Volo te magnifico hoc sedili honorare, postquam in magno honore apud homines fuisti, et semper gloriam ambivisti. Quæ mox funestum hunc honorem lamentabili voce deflevit. Tum alii dæmones aderant offerentes ei poculum amarissimo et fetidissimo potu plenum etangebant eum bibere, dicentes: Ita decet, fuisti enim amicus nobilissimorum vinorum: proba nunc vinum illud, quod nos bibimus in hac regione. Hos secuti alii duo, qui duas tubas igne plenas inflabant in aures ejus, vociferantes: Nunc concentum tibi præparamus, sciebamus

enim te, cum viveres, harmoniarum amatorem; post hos alii duo in pectus illius viperas injiciebant, dicentes: Quia fuisti appetitor amplexuum et osculorum impudicorum, his nunc voluptatibus te oblecta: his frue istarum loco, quas in mundo habuisti. » Nimirum ita scripsit Isaias, cap. XXVII. *In mensura contra mensuram judicabis eam*, quia juxta proportionem et qualitatem peccati, recipiet quisque pœnam. Quod huic viro ostensum est, ad nostram instructionem ostensum est, etc.

CONCIO VII.

QUOMODO IN INFERNO TORQUENDÆ VIRES ANIMÆ.

I. Quid agat ibi intellectus. — II. Quid memoria. — III. Quid voluntas. — IV. Quid phantasia. — V. Quid reliquæ vires et membra.

THEMA.

Ibi erit fletus et stridor dentium. Matth. VIII.

Mandavit olim Deus prophetæ Jeremiæ, Jerem. c. XXXV. ut tolleret volumen libri et in eo scriberet minas et calamitates omnes, quas locutus erat adversum Israel et Juda, et adversum omnes gentes, a die quo locutus erat ad prophetam, legeretque omnia quæ scripsisset, audiente populo et coram universo Juda, qui veniebant de civitatibus, si forte reverteretur unusquisque de via sua pessima, et Deus iram suam super illos contineret, quam in eos effundere decreverat. Quod cum fecisset propheta, minasque divinas coram omni populo principibusque legisset, *obstupuerunt unusquisque ad proximum suum*, ait Scriptura, et quasi attoniti se mutuo intuentes toto corpore contremuerunt. Quo eodem remedio usus est Deus per Joannem, Luc. III. qui cum prædicaret arborem infrugiferam excindendam et in ignem mittendam, et quod alius se fortior venisset, cujus ventilabrum in manu ejus, qui paleas combusturus esset igne inextinguibili: venerunt ad Joannem pœnitentes et confitentis peccata sua ac dicentes: *Quid faciemus nos?* Ejusmodi etiam legatione fungor hodie indignus ex mandato Dei, ut videlicet vobis, auditores, annuntiem iram Dei scriptam contra peccatores; scriptam, inquam, in hodierno evangelio illis verbis: *Ibi erit fletus et stridor dentium*. Utinam igitur similes haberem auditores, quales nacti sunt Jeremias et Joannes.

I. Vidimus supra quinque sensuum pœnas juxta Ægyptiorum plagas. Nunc ad vires animæ progrediamur. Et quid agat ibi intelligentia?

Cum verme conscientiæ perpetuum bellum geret. Nam ut vermis e ligno nascitur et ipsum lignum perpetuo rodit: sic vermis iste e peccato oritur et contra peccatum deinde perpetuum bellum gerit. De hoc Isaias, cap. LXVI. et Christus, Marci IX. ait: *Vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur*. Nihil vero aliud est nisi perpetuus accusator et vindex hominis, statuens illi ante faciem præterita peccata, et redarguens eum justaque condemnans, imo et carnificis instar torquens, dolore et pœnitentia, rabie et desperatione plenus. Quamobrem de damnatis dixit Joannes, Apoc. XVI. *Commanducaverunt linguas suas præ dolore*. Ibi dicit tibi conscientia, quod, ut ait Climacus: *Plus timueris canem, quam Deum: quoniam ne canis te latratu proderet, crimina quædam omisit, quæ ex timore divini judicii non vitasses*. Item quanta bona perdidideris et in quanta mala deveneris! ut Antiochus, I. Macch. capit. VI. Ibi objicet tibi conscientia, quod absque dubio objiciebat Ægyptiis, qui non credentes prædicationi Josephi, post annos septem fertilitatis, inciderunt in annos sterilitatis et simul in extremam inopiam, ita ut non pecora modo, sed etiam seipsos vendere pro frumento cogentur. Eheu miseri nos! Quis adeo nos fascinavit, ut non crederemus bene monenti et provideremus nobis de frugibus bonorum operum, de remediis sacramentorum, cum tam facile possemus et copia nobis esset? Nunc anni sterilitatis sunt, in quibus nec serere licet nec metere. O anni mali et maledicti! Dicent etiam: Quod si inter ethnicos fuisset, et non credidisset aliam nobis sortem esse præter nosci et mori, essent fortassis excusandus et dicere possem: Nesciebam hæc mihi eventura. Sed vivens inter Christianos Christianus ipse et credens horam hanc venturam tempusque illud, toties mihi prædictum, videns insuper multos admonitionibus illis permotos, toto vitæ tempore sese in hanc horam præparasse, sibi que comparasse, ea quæ ad futuram vitam erant necessaria, qua sua diligentia magis confirmabant ea, quæ mihi in Ecclesia prædicabantur: nihilominus ad hæc omnia obscuri, volens sine omni molestia assumi ad cælum; quid aliud commerui, nisi quod patior? O furie infernales! Lacerate et laniate viscera mea: id enim ego meritis sum. etc. Ibi ostendetur tibi altera peccati facies, quæ est abominatio, quam tu hic aspicere volebas: sed priorem tantum, quæ est delectatio intuebaris; et tunc incipies dicere: O monstrum! O terror! Si prius te ita vidissem, ter uncio non emissem. Congrega ergo tibi cum formica tempore ætatis, *antequam*

dapropinquant anni et quibus dicas : Non mihi placent, ut ait Ecclesiasticus, cap. ult. contemplare hic peccatum a facie posteriore ut ne defleas ibi. Designata fuit hæc pœna per ranarum plagam ordine secundam, quæ sicut clamore suo turbant quietem dormientium : sic vermis conscientiæ damnatos semper infestabit. De illis dixit Joannes, Apoc. XIV. *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec requiem habent die ac nocte qui adoraverunt bestiam.* Quiescunt et tacent interdum ranæ, uti etiam vermis conscientiæ in viventibus subinde, cum scilicet rebus aliis occupantur : sed ibi nunquam tacebit, quia apud inferos nulla somni quies, nulla lectio vel operatio aderit.

II. Quid ager ibi memoria? Recogitabit annos præteritos in amaritudine animæ suæ, sed sine omni fructu, ad maiorem suam pœnam. Cum Sesostres Ægypti rex, ut scribit Nicephorus, lib. XVIII. cap. XXXIX. a quatuor regibus sibi subjugatis trahi se in curru velut a quatuor equis faceret, eorum unus sæpe retrospectans, rotam intuebatur. Causam cur ita respectaret, cum sciscitaretur Sesostres, respondit ille : *Intuens rotæ volubilitatem, cum stupore eam admiror, in qua summa cito fiunt ima, et cogito fortunæ instabilitatem.* Hanc eandem rotam contemplabitur memoria damnatorum, quando videlicet paulo ante summi in mundo erant, divitiis et voluptatibus affluabant, nunc vero ad ima depressi, ad extremam item inopiam et angustiam redacti sunt. Vehementer affligebat Hebræos memoria ciborum, quibus in Ægypto vesciebantur, constitutos in solitudine, unde dicebant : *Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres et pepones, etc.* Num. XI. Quanto igitur tristitia involvet condemnatos, cum in mentem eis venient præteritæ voluptates, quæ tantum abest ut delectent eos, ut magis etiam torqueant, tamquam damnationis suæ causæ! Tunc enim tandem intelligent, quam acri pipere conditæ fuerint epulæ illæ, quæ tam dulces eis videbantur. Magna pars infelicitatis est fuisse aliquando felicem. Quantam enim miseriam fuisse putamus Henrici IV. imperatoris, quando imperio exutus et a proprio filio ejectus, ad tantam devenit desolationem, ut nec beneficium aliquod ecclesiasticum ad sustentandam vitam obtinere posset; unde suspirans cum lacrymis exclamasse fertur : *Miseremini mei, saltem vos amici mei, Zigel.* de viris illustribus Germ. cap. XXXIX. sed nihil hoc ad miseriam damnatorum, ut apparet in epulone, qui prius epula ur quotidie splendide, postea a Lazaro guttam aquæ mendicabat, et non obti-

nebat. Quam enim vulneratam fuisse putamus illius animam, cum audiit ab Abrahamo : *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua?* Quid enim juvat recepisse, si postea egebat? Annon satius fuisset, nihil unquam solatii in mundo habuisse? Pœnæ illius typus fuit mors primogenitorum, in ordine postrema. Nam præteritarum deliciarum memoria, quid nisi mors primogenitorum velut charissimorum?

III. Quomodo porro voluntas ibi se habebit? Cruciabitur rabida quadam invidia, quam de ipsius Dei et omnium sanctorum gloria concipiet. Et huc referri potest stridor dentium, quomodo Judæi stridebant dentibus in Sanctum Stephanum, Actor. VII. et Psal. CXI. dicitur : *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet.* Fremet damnati primo, contra Deum, quem norunt nunquam sibi reconciliandum, sed semper fore inimicum et vindicem inflexibilem. Idcirco de illis Joannes dixit, Apoc. XVI. *Blasphemaverunt Deum cali præ doloribus et vulneribus suis.* Blasphemabunt vero Dei potentiam quod creavit illos : ejus justitiam, quod ita puniat : ejus sapientiam quod scelera eorum viderit et nunc intueatur supplicia : ejus bonitatem quod alios prædestinaverit ad vitam, ipsos vero in peccatorum sordibus reliquerit et beneficia eis præstita nunc majoris supplicii causa sint. Fremet deinde in sanctos, cum videbunt se caelo excidisse, et alios loca eorum occupasse, cum videbunt indoctos rapuisse cælum, et præcedere se meretrices et publicanos, cum videbunt eos quos oderant, in caelo exaltatos : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, etc.* Ex qua invidia putat Chrysologus, sermon. CXXII. epulonem petiisse ut Lazarus ad eum mitteretur, de gremio scilicet Abrahæ ad infernum, de solio sublimi ad profundissimum chaos, ad tormentum et stridorem de sancta quiete, ut ait ipse, quia scilicet ei quem oderat tantam gloriam invidebat. Fremet etiam in seipsos et omnia membra ac potentias suas quibus pœnam sibi mercati sunt. Fremet denique in eos, qui sibi ad damnationem fuerunt adjumento. Et hoc erit eorum matutinum et completorium. Quam pœnam designant locustæ illæ, quæ octava Ægypti plaga, omnium plantarum virorem depastæ sunt, id quod invidia etiam facit.

IV. Quid phantasia? Cruciabitur vehementissima apprehensione eorum tormentorum, in quibus homo erit. Computabunt enim præsentis pœnas cum præteritis voluptatibus, dicentque : Quid nobis mundus offerebat, ut tam terribilem Deum provocare ad iracundiam auderemus? Quomodo tam cæci fuimus ut pro modico lucro,

pro feda voluptate, proexili honore, tam grandes mercemur pœnas? Sed et si regna et imperia cum omnibus divitiis et delectationibus obtulisset, quid erant illa omnia ut cum his pœnis conferrentur? Cum igitur non regna, non imperia, sed umbram tantum amarissimam voluptatis nobis obtulerit, et vere fumum vendiderit, quis ita crudeliter nos fascinavit, ut in hæc tempora non respiceremus? Computabunt etiam æternitatem gehennæ, cum brevitate voluptatum, dicentque : *Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius præcurrens, et tamquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, etc.* uti ratiocinatur Sapientiæ cap. V. Quid vero est æternitas pœnarum nostrarum? Quis tam peritus arithmeticus inveniri queat, ut nobis metiatur, quanto spatio tempus ab æternitate superetur? O æternitas, æternitas! Quamdiu jam durasti! Quamdiu adhuc durabis? Annon tandem aliquando finem et tu accipies? Hæcine saxum Sisyphi semper nos volvemus, et relapsum revolvemus, et iterum revolvemus, et in æternum revolvemus?

Computabunt item laborem pœnitentiæ præsentis vitæ, quo vitam sibi parare et gehennam evadere poterant, cum gehennæ pœnis, dicentque : Heu miseros nos! Quam vili pretio redimere has pœnas poteramus, quibus ultro regnum celorum offerebatur et gratis donabatur, quin etiam obsecratum est ut illud acciperemus, et respicimus! Si vel extrema hora ingemuissemus super erratis nostris, condonata omnia fuissent. Quid magnum erat ingemiscere et dolere de peccatis? Quid magnum confiteri? Quid magnum deserere voluptates, quæ modo nos ipsæ deserunt? In promptu erant confessarii, in promptu sacramenta, in promptu Dei gratia, in promptu Christus ipse in medio nostrum habitans. Præ foribus erant pauperes, a quibus regnum celorum facillime poteramus mercari, siquidem poculum aquæ frigidæ mercedem habuissent. Nunc omnis occasio calva est, et in posterum perpetuo jejunabimus, perpetuo cruciabimur. O tempus illud aureum! O dies illos nobiles, qui quidem jam transierunt, nec amplius revertentur! Comparabunt viam peccatorum laboriosissimam, cum via facili justorum, et dicent : *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles,* Sap. V. Istant cogitationes designarunt illi ciniphes seu culices, qui in tertia Ægypti plaga stimulis aculeatis corpora terebrabant et in oculos hominum involabant. Quid enim acutius terebrare potest animum damnatorum, quam tales cogitationes? Cogitationes

Balthasarum conturbabant eum, ut genua ejus colliderentur, dum aspiceret manum in pariete scribentem ei excidium. Sed quanto gravior est scriptura illa inferni : *Amen dico tibi, non exibis hinc donec solvas novissimum quadrantem :* tanto terribiliores etiam erunt cogitationes damnatorum.

V. Quid reliquis membris accidet? Cruciatu omnis generis, sicut Job dixit, capite XX. *Omnis dolor irruet super eum :* et Moyses, Deut. XXXII. *Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis.* Erit igitur homo tunc scopus omnium sagittarum Dei. Quando hic in vita sagittas emittit Deus, unam aut alteram mittit velut unum aut alterum morbum, unum et alterum membrum affligit, unum aut alterum bonum aufert : sed non omnes simul emittit, non omnia bona aufert, non omnes dolores infert. At ibi simul omnes ejaculabuntur. Jam si uno dentium dolore angeris ut huc illuc currens somnum non capias, cibus desipiat, etc. cum tam multas interim habeas consolationes et levamenta, quid erit omnes dolores simul perferre in æternum? Et juste hoc, quia qui in omnibus membris contra Deum pugnarunt, in omnibus punientur membris. Docent hoc plurimæ divinæ vindictæ exempla. Pharaon in mari rubro periit, quoniam et ipse flumina sua sanguine infantium Hebræorum tinxit. Sodoma et Gomorra igne perierunt, quia igne libidinis arserant. Dathan et Abiron disruptione terræ absorpti sunt, quia et ipsi divisionis et schismatis auctores erant. Murmuratores a serpentibus icti sunt, quia et ipsi linguam contra Moysen exeruerant. Diluvii aquis suffocati sunt, qui potu satiari non poterant et cibo. Judæi quomodo Christum crucifixerunt et emere, sic et ipsi crucifixi et venditi sunt. Ægyptii fuerunt puniti per bruta animalia per quæ et peccaverunt, ea adorando, ut Sap. XI. habetur : *Quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur,* ut ibid. dicitur. Ibi ergo superbi extreme humiliabuntur, et omnibus erunt ludibrio, pleni confusione; avari extreme egebunt; gulosi extrema laborabunt siti et fame; luxuriosi intolerabiles sentient morsus, puncturas, ustiones; invidi extreme tabescent; iracundi crudeliter vapulabunt; acediosi perpetua vexabuntur vigilia, etc.

Cum ergo hæc, ut diximus, ita eventura sunt damnatis, quis non sibi metuat et caveat? *Surdi, audite,* ait Isaias, cap. XLII. *et cæci intuemini ad videndum.* Si non credas hæc quomodo Christianus appellaberis? Si credas et non caveas, quomodo ratione præditus? Secundum Aristotelem, sola quidem imaginatio timorem generare

nequit, sola tamen opinio potest. Quare si hæc opinionem tantum haberent, metuenda tamen forent: quanto magis cum divina Scriptura comprobentur, de qua iota unum aut unus apex non præteribit, donec omnia fiant? Si quis sibi imaginetur, se in latrones incidisse, vel in foveam serpentum, etc. non sufficit hoc ad timorem excitandum: sed homicida merito timet, v. g. quia probabiliter scit sibi insidias poni. Quoniam ergo conscii nobis sumus multorum peccatorum et nostræ duritiæ ac impœnitentiæ, quomodo non perpetuo timemus?

CONCIO VIII.

PRÆSCRIPTA DUCUM MILITARUM.

I. Adest exercitui. — II. Delectum habet militum. — III. Præparat milites ad pugnam. — IV. Animat ad pugnam milites. — V. A Dei invocatione pugnam inchoat. — VI. Sibi primo imperat. — VII. Non patitur facinorosos. — VIII. Conservat disciplinam. — IX. Militibus sua stipendia numerat. — X. Victoriam Deo adscribit.

THEMA.

Et ego sum homo sub potestate constitutus, habens sub me milites, etc. Matth. VIII.

Videmus, auditores, in hodierno evangelio, quantum in bono duce situm sit. Ecce enim, putatis, hic centurio tam obsequentes milites habuit, ut ad nutum ei parerent, nisi quia ipse egregius capitaneus fuit, virtutis et Dei cultus amans, suæ conditionis et officii memor? Inde enim illa ejus verba: *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, etc.* Hinc Cimon Lycaonensium dux dicebat: *Malle se exercitum cervorum cum duce leone, quam exercitum leonum cum duce cervo.* Hinc olim in Palæstina sicut omnes reges vocabantur Abimelech, id est, pater meus rex; ita omnes militum duces vocabantur Phicol, id est, omnis facies, vel omne os, ut ex Gen. XXI. et XXVI. colligit Cornelius a Lapide, ibid. ut indicaretur, quod belli dux omnium militum facies, omnium os quodammodo esse debeat: ita ut omnium ora et oculi in ipsum sint conversi, ipseque omnium instar sit, omnes exemplo suo velut facies præcedat.

Quando ergo in duce exercitus tantum est positum, promamus quæ ad hujus institutionem veramque laudem spectant. Hujus enim faciem si laverimus nitidamque effecerimus, omnium militum facies lotas esse credemus.

I. Sedulus et prudens dux adest exercitui suo.

Hinc enim chiliarchæ cæterique longe vigilantius in officio sunt, et milites animosius in hostem irruunt, eo spectante, pro quo decertant, vel a quo virtutis laudem expectant et præmium. Hinc Macedones cum contra Illyricos et Thraces infeliciter pugnant, sese colligentes, judicant causam esse, quia regem non haberent, utpote qui non ita pridem mortuus esset, et filium tantum parvulum reliquisset. Itaque infantem regium adhuc in cunis jacentem ante aciem suam posuerunt, indeque ejus præsentia roborati, hostes debellarunt, Just. I. VII. Carolus V. et VI. Franciæ reges vix unquam de Anglo triumpharunt, cum quo per suos tantum bella gerebant. At Carolus VII. contra semper præsens, intra annum eripuit ei Normandiam totam, vastissimam provinciam, Chavass. de prudent. I. II. cap. VIII. Tanti est regis vel ducis præsentia in bello.

II. In legendis militibus delectum habet. Carolus V. in comparando exercitu dicebat se caput sumere ab Italis, brachia ab Hispanis, pectus a Germanis, ventrem et pedes a reliqua gentium turba. Itali enim solertes sunt et vigiles atque industrii, proinde boni duces, Hispani fortes, Germani animosi. Deinde advertit ut catholicos potius milites habeat quam hæresi infectos. Quis enim non multo plus fidat iis, qui fidem Deo integram servant, quam aliis?

III. Ad pugnam præparat milites per penitentiam et confessionem, si illi jam fideles sint, vel sacrum baptismum, si adhuc infideles; quomodo scilicet Gedeon Dei jussu duxit milites suos ad aquas, et aquarum haustu probavit, quinam essent ad militiam idonei, Judic. VII. Nihil dubium, quin multo alacrius pugnaturi sint expiati, quam sceleribus obnoxii; qui pacatæ sunt conscientiæ, quam qui perturbatæ et timidæ; cujus reatu metuunt utique mortem et post hanc judicium et gehennam.

IV. Instante pugna animat suos, proposita causæ æquitate, et cælestis præmii magnitudine, uti fecit Macchabæus, I. Macch. II. et III. *O filii, inquit, æmulatores estote legis et date animas vestras pro testamento patrum, etc.* Monet etiam ne terreantur hostium minis et clamoribus; siquidem hi validiores non reddunt hostes, et plerumque canes timidiusculi plus latrant, quam mordent. Ludovicus XII. Galliæ rex bellum Venetis inferens, extollente quodam Venetorum prudentiam: *Ego vero, inquit, illis tot stultos opponam, ut quo se vertant, sint ignoraturi.* Correzet. de dict. mem.

V. A numinis invocatione et oratione pugnam incipit, uti fecit Josue, cap. X. XXXIII. XXXIV. Judæi, I. Reg. VII. David II. Reg. XXIII. II. Reg. V. I. Par. XIV. Constantinus Magnus in bello Persico

tabernaculum fixit, instar templi exædificatum, in quo sacra peragebantur; cuius etiam legioni templum mobile erat ad eundem finem. Ambos Theodosios imp. plures victorias obtinuisse precibus quam armis, conpertum est apud historicos. Senior ille Theodosius *circuibat ante pugnam cum sacerdotibus et populo omnia orationum loca, ante martyrum et apostolorum thecas jacebat cilicio prostratus, et auxilium sibi fida sanctorum intercessionem posebat,* inquit Ruffinus, I. II. cap. XXXII. Similiter Heraclius prævia oratione præclaram de Persis victoriam obtinuit.

VI. Sibi imprimis imperat, ne per iram quid præcipit. Dæmonax rogatus a duce qua ratione optime præset exercitui, respondit: *Si iracundia vacaris: si cogites non homini, sed vitio irascendum: si instar medici ægroto non indigneris, sed placide ei morbum animi cures.*

Rursum ne in victu et vestitu exorbitet, aut voluptatibus indulgeat; hæ enim exhauriunt vires et exercitum hosti produnt. Rudolphus Austriacus imp. contra Otlocarum Bohemiæ regem bellum movens, cum gravi commeatu, potus præsertim defectu laboraret, hydriam aquæ colone, quæ eam messoribus tulerat, ablatam, sibi que oblatam, noluit acceptare, dicens se exercitui sitivisse. Idem postea victum Otlocarum excepturus fidemque ab eo accepturus, monitus se regio cultu trabeaque adornaret, eo quod Bohemus se splendida veste foret exhibiturus, renitens: *Absit, inquit, rex Bohemiæ toties meam griseam togam explosit, nunc ista ipsummet explodet. Vos commilitones ut ad pugnam stete. Decus Teutonicorum armorum, non vestium, advenis istis ostendite,* Lipsius, monit. polit. II. capit. XVII. Æneas Sylv. lib. III. de rebus Alph.

Denique, ne cupiditate victus bellum protrahat, cum cito absolvere et conficere potest; ne miseris subditos, pondus ejus sustinentes et clamantes in cælum ob procrastinationem lento adurat igne. Pari passu ambulat, et in eadem damnatione sunt judex, medicus et belli dux, si primus causarum forensium decisionem, secundus infirmorum curationem, tertius belli tam multos prementis et ad desperationem pene redigentis, finem producat æquo longius; tenenturque omnes ad reparationem superfluum sumptuum. Imo tertii tanto major culpa est, quanto plures gravantur ejus oscitantia et neglectu. Maximam laudem promeruit Q. Cincinnas quod ab aratro ad belli Romani vocatus administrationem, intra dies plus minus quindecim totam perfecit, hostes profligaverit, urbi pacem attulerit, et ad stivam, quam reliquerat, redierit, Chavass. I. II. de prud. c. VIII.

VII. Non patitur in exercitu facinorosos, scimus enim quid acciderit exercitui Hebræorum, quando ex eo unus Achan furti et anathematis se reum fecit. Hinc enim cæsi Israelitæ et fugati sunt ab hostibus, prius invicti et terror hostium. Unde Dominus, Jos. VII. dixit: *Non potuit Israel stare ante hostes suos, quia pollutus est anathemate. Non ero ultra vobiscum, donec coneratis eum qui hujus sceleris reus est:* et II. Par. XXV. dicitur regi Amasie: *O rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel: non est enim Dominus cum Israel et cunctis filiis Ephraim. Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus.* Armaverat is se ingenti exercitu, et tamen audit, nihil se posse contra hostem propter militum peccata. « Non enim debent, (inquit Constantinus Magnus, apud Euseb. I. IV. de vita Constantini. c. XIX.) milites in armis aut viribus corporum spem ponere, sed universitatis Deum rerum omnium bonorum et ipsius victoriæ auctorem agnoscere. » Jovianus, cum post Juliani apostatæ interitum imperator eligeretur: « Non possum, inquit, regere Juliani exercitum, qui tam pestifera doctrina est imbutus, talis enim a Deo destitutus, facile ab hostibus superabitur. » Quibus auditis milites uno ore conclamarunt: *Ne dubites, christianis hominibus et in vera pietate educatis imperabis,* Theodor. I. IV. c. I. Wamba rex Hispaniarum militibus adulteris virilia amputavit, dicens: « Ecce nunc judicium imminet belli: et licet fornicari ut Deus ad iracundiam provocetur? » Dicebat etiam: « Frustra pergit ad bellum, quem iniquitatis comitatur exemplum, » Baron. anno 674. Audiamus et Mauri a fide alieni exemplum memorabile. Cabones dux Maurorum circa Tripolim, postquam Wandalos bellum adversus se movere audivit, primum subditis suis præcepit, ut ab omni iniquitate et cibo, qui ad delicias faceret, abstinerent, omniumque maxime a mulierum consuetudine. Et binis castris positus, in alteris quidem ipse cum viris in armis fuit, in alteris mulieres inclusit, mortis supplicium minatus, si quis feminarum vallum ingressus esset. Deinde exploratores Carthaginem misit, cum mandatis, si quid impii a Wandalis in Christianorum templis perpetrari viderent, ut illi spectarent, et postea cum Wandali discessissent, illud restituerent: ac subjecit se quidem Deum, quem Christiani colerent, ignorare: consentaneum vero sibi videri, siquidem (quod dicebatur) fortis potensque esset, ut contemptores sui numinis puniret, cultores tueretur. Exploratores postquam venerunt Carthaginem, viderunt belli apparatus ingentem. Deinde secuti exercitum, in Christianorum templa equos et jumenta